

CELEBERRIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

DD. CAROLO LINNÆO

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIEU.

TE suadente et cupiente suscepit iter aleæ plenum tuus non meus ex Florâ filius D. Missa. Etenim ab hac die quâ rem herbariam discere cœpit summo te prosecutus est studio, et a te edoceri exoptavit. Ipsi gratulor quod feliciter scopum attigerit tamdiu desideratum, gratesque simul refero quam maximas ob collata officia licet a me non expostulata.

In Africam proficiscitur juvenis botanophilus,* cæteris historiæ naturalis partibus optimè imbutus et informatus. Ab illo segetem amplissimam observationibus bene locupletatam expectamus, et sperare fas est; plantas et animalia juxta methodum tuam definire sibi proposuit. Specimina sicca, matura semina, mittet, sicut et insecta quibus cognoscendis utilem mecum hac æstate et autumno præteritâ navavit operam, tuæ Faunæ vestigia insistens, in quâ tamen non pauca emendanda, immutanda aut firmiori talo statuenda videntur. Cum quid ab his calidissimis oris novum appulerit tu profecto primus eris particeps, et offerre mihi jucundissimum. Semina quæ nunc mitto recentissima sunt, alia ubi primum significaveris lubenter colligam statimque

* Mich. Adanson, tum annos tantum 21 natus, quinque mansit in Senegaliâ, cujus historiam naturalem redux edidit anno 1757. Plures ejus longioresque epistolas, non medioeris ad rerum naturalium ipsiusque auctoris notitiam pretii, possidemus, inde ad Antonium et Bernardum de Jussieu scriptas; quibus utrumque, posteriorem imprimis, magistrum patronum amicumque profitetur. Quod Linnæum attinet, sæpius de ipso in his litteris mentio, et sequentia propositum a Bernardo hic enunciatum Adansonii, quamvis serius a vestigiis Linnæanis procul discesserit, confirmare videntur. "*Vous me ferez plaisir de me marquer si je fais bien de décrire les différences de chaque espèce de toutes ces sortes de plantes et d'animaux, ainsi que des endroits où ils se trouvent, avec leurs propriétés, afin de pouvoir à mon retour réduire cet ouvrage en forme de catalogue tel que le Fauna Suecica de Linnæus.*" (Lettre du 15 Août, 1749.) — "*Je vous laisse la liberté de communiquer à M. Linnæus le caractère du Baobab; je pense que cela ne peut m'être désavantageux ni tirer à aucune mauvaise conséquence: je vous prie même de vouloir bien assurer ce sçavant de l'estime infinie que j'ai pour sa personne et ses ouvrages, et que la distance infinie qui me sépare de lui est la seule raison qui me dispense de lui communiquer moi-même tout ce qu'il pourrait désirer. . . . Pour ce qui est des autres genres, &c., je vous prie de ne les point faire paraître, parce que je compte après mon retour, après avoir fait paraître en Français l'histoire naturelle des environs du Senegal, donner en Latin suivant le système de Linnæus et dans la forme de son Flora Zeylanica, les observations faites en cet endroit. Comme le système de cet auteur est assez généralement reçu, et que d'ailleurs je n'ai pas encore vû assez d'objets pour constater la bonté du mien, je compte donner le Flora Guincensis suivant ses principes.*" (Lettre du 20 Février, 1752.)